1390 ultimis aprilis v. in maio

Kuiawy

Ex Orig. Arch. Regni

301.

Vladislaus Dux Opoliensis Cuiaviensis ac Nobiles et Vasallos Terrarum Vladislaviensis et aliarum absolvit ab Omagio et Subiectione Sibi Coniugi et Liberis suis praestito, mandatq eisdem fidem et obedientiam Dnae Hedvigi filiae Suae et Marito Eius Alexandro Duci

88

Nos Ladislaus Dei Gratia Dux et Dominus Opuliensis, Velunensis, Cuiaviensis, Dobrinensis ac Ad Universorum tam praesentium quam etiam futurorum charum tenore praesentium deducimus notitiam. Quod cum pridem permoti Paterna pietate qua respeximus uberius Illustrem Principem Dominam Hedvigim Conthoralem Legitimam Magnifici Principis Domini Alexandri Generi Nostri Carissimi filiam nostram amantissimam Sibiq et Suis Pueris utriusque Sexus Terras et Dominia videlicet Vladislaviensem, Tucznoviensem et Bidgoscensem cum singulis ipsarum pertinentijs, Dominijs, Juribus et Utilitatibus excluso duntaxat Censu Quadringentarum Marcarum Grossorum quem Nobis et Illustri Principi Dominae Osce Conthorali Nostrae Carissimae ad Vitae Nostrae tempora In de et super Civitate Vladislaviensi duximus specialiter reservandum dedissemus Contulissemus et resignassemus liberaliter ordinatione et modo infrascriptis prout etiam de dicta ordinatione sunt Litterae tam Nostrae quam etiam praefati Generi Nostri tenoris et Continentiae ple:

mioris videlicet ut si dictam Nostram filiam de hac luce migrare contingat non derelicta prole quod Deus omnipotens misericorditer avertere dignetur extunc dictas Terras, Civitates, Castra, Dominia, cum singulis ipsorum fructibus Juribus et Dominijs Dominus Noster Gener possidebit et servabit liberè tamdiu donec sibi Sex millia Marcarum Grossorum Pragensium Numeri Polonicalis fuerint integraliter persoluta, etiam si dictus Dominus Alexander Gener noster dilectus dictum Censum Quadringentarum marcarum apud nos aut dictam Nostram Conthoralem suis Pecunijs redimeret, tunc similiter prefatas Terras, Civitates, Castra Possessiones et Dominia possidebit liberè donec sibi Quatuor millia marcarum Grossorum et Numeri predictorum fuerint effectualiter persoluta, solutisq sibi dictis Pecunijs modis praescriptis extunc dicte Terre Civitates Castra et Dominia eo modo et forma quibus Nos dicte Nostre filie resignavimus et contulimus remota etiam omni astutia, Versucia et Contradictione ad Nos nostramque Conthoralem ac Nostros Heredes et Successores Legitimos Duces Opulienses liberè revertentur prefatum quoque Dominum Alexandrum huiusmodi Terrarum et Possessionum ac dicte Nostre filie constituimus Tutorem

Suum et Gubernatorem, quorum Nobiles et Validos Dominos Palatinos officiales Dignitatum et Ceteros Terrarum præfatarum Nobiles, Phasallos et Inhabitatores modis et Conditionibus præscriptis ab Omagio fidelitatis et subiectionis Nobis per eos præstito et dictæ Nostræ Conthorali Dominæ Ofce utique pueris Nostris utriusque Sexus, absolvimus, liberamus, quietamus ac præsentis Scripti Patrocinio prout etiam binæ Vocis Oraculo fecimus absolutos, liberatos et quietatos publice et excerta Scientia nuntiamus, mandamus igitur dictis Nobilibus Officialibus Dignitatum et Ceteris Phasallis et Inhabitatoribus præfatarum Terrarum exnunc prout etiam Ipsis bina voce mandavimus et cuilibet Illorum in solidum quatenus omagium fidelitatis et Subiectionis et illa quæ de Iure facere astricti sunt Dictæ Dominæ Hedvigi ut Hæredi vero et Legitimo et præfato Domino Alexandro ut Tutori et Gubernatori suo præstent realiter cum effectu iuxta Ordinationem superius expressatam ipsisque ut tenentur rent, obediant et intendant, ut autem hæc omnia robur firmitatis obtinere valeant præsentes fieri mandavimus nostri maio:

ris Sigilli munitione consignatas. Actum et Datum Vladislaviae in Die ascensionis Domini Anno eiusdem Millesimo Trecentesimo Nonagesimô.

Ta kopia wypisana z Oryginału Pargaminowego Tysiącznego Siedmsetnego Ośmdziesiątego Piątego Roku, Dnia Jedynastego Miesiąca Lipca u ktorego dołu na Sznurku iedwabnym zawieszona znayduie się Pieczę iedna

~~Do Tomu 1386 R.~~